



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

VIII. Testamentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

TESTAMENTUM

Quo se continuò præparavit ad Mortem

FR. JOANNES

à S. CATHARINA Cognomento BONA

*Ordinis Cisterciensis in congregatione Italica magnum
decus, humilis Monachus,*

EX Monacho ABBAS Generalis, & demùm ex Generali
titulo S. BERNARDI ad Thermas

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS.

APPROBATIONES.

*Placeat Domino Matthæo de Strozis Can. Flor. ac Sacræ Theologiæ Lectori perlegere, an in isto
opere aliquid sit contrarium Sanctæ Fidei, & bonis moribus, & referat. Datum 28. Augusti 1675.
Alex. Puc. Vicar. Gener. Fl.*

*In hoc EMIN. CARD. BONÆ Testamento, nihil contrà fidem; sed omnia in attestatio-
nem veræ fidei, & ad hæreditatis æternæ consecutionem tabulis hæc cœlestibus legitimè confi-
gnata reperi. Quare ego minimus inter fideles, non ut testis tantùm, sed ut novus etiam ipse testa-
tor meæ mentis, & intimæ erga Deum & homines voluntatis, attestationem refero.
Matthæus Strozza Can. Flor. Sacr. Theolog. Lector.*

In lucem edatur servatis servandis. Dat. 4. Sept. 1675.

Alex. Puc. Vic. Gen. Fl.

Adi, 5. Septemb.

D'ord. del P. Reu. Inq. Il Pad. Conf. Biagio Dolci Min. Offer. vegga, eriferisca.
Fra. Cæsare Pall. Canc. del S. Off. di Fir.

Rever. Pater.

*Testam. EMIN. CARD. BONÆ à me diligenter lectum & consideratum expers ab omni novo
errore tum contra nostram sanctam Fidem Catholicam, tum contrà bonos mores inventum est, maxime-
que utilitatis futurum, si typis mandetur.*

Fr. Blasius de Dulc.

Impr. Fr. Franc. Maria Vic. Gen. S. Off. Flor. S. Off. Conf.

Matth. de Merc. Adv. pro Ser. Magno Duce Etyur.

Hhhhhh 2

TE-

TESTAMENTUM

S I V E

PRÆPARATIO AD MORTEM.

Vigilate quia nescitis diem neque horam. *Matth. 25.*

In nomine Sanctissimæ & individue Trinitatis, Patris, & Filii,
& Spiritus Sancti. Amen.



Uter multos eosque gravissimos errores, temerè & inconsulto viventium, nihil damnabilius, nihil nocentius, quàm quod plerique mortalium, cum certò sciant se morituros, diem verò vel horam migrationis ignorent, nunquam tamen de morte recogitant, nunquam se ad illud terribile momentum præparant, à quo pender aeternitas, ac si pactum cum inferno pepigissent, & mors ad ipsos nullo modo pertineret. Quod vitium commune nostræ mortalitatis sæpè considerans ego infra scriptus, humilis Monachus, & indignus peccator, vocemque Salvatoris audiens, quæ nos hortatur ad vigilandum, quia nescimus diem neque horam; memor item Scripturæ præcipientis, Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm veniat tempus afflictionis, & revertatur pulvis in terram suam. Cum præsertim viderem amicos meos, paucis antè diebus repentinà morte sublato, in manus Dei viventis incidisse: ne mihi contingat subitò hinc tolli, & ad tribunal districti iudicii cum sordibus iniquitatum mearum perducì; statui & decevi; dum sensus vigent corporis & vires animæ, ea quæ sunt novissima (Divinà favente gratiâ) providere, & meam ultimam voluntatem, in hunc qui sequitur modum, declarare.

Timor enim & tremor venerunt super me, comprehenderunt me laquei mortis, dolores inferni circumdederunt me, quia omnia in futurum reservantur incerta, nescitque homo amorene vel odio dignus sit. Tinnunt zures cordis mei à voce tonitruï magni terribiliter intonantis: Oportet nos præsentari antè tribunal Christi, ut refe-

rat unusquisque quæ gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum. Metuo diem extremam tribulationis & angustiae, diem calamitatis & miseriae, diem tenebrarum & caliginis, in quâ si Justus vix salvabitur, ego impius, ego scelestus, ego maximus peccator, ubi apparebo? Contremisco valdè à dentibus bestiae infernalis, à rugentibus præparatis ad escam; & cupio antè mortem maturè mori, nè moriar in aeternum.

CHRISTI igitur Redemptoris nomen invoco, antè thronum Divinae Majestatis toto corde & corpore prostratus, in præsentia *Deiparae Virginis*, quæ Mater misericordiae jure vocatur, atque Angeli mei Custodis, *S. Michaelis* Principis Ecclesiae, astantibus etiam, atque in speculo lucidissimo Divini Verbi hæc omnia audientibus & videntibus Divis, *Joanne Baptista* Præcursores Domini, *Petro* Principe Apostolorum, *Joanne Evangelista* & Apostolo magis directo; *Benedicto* Monachorum Patre, *Virgine* & Martyre *Catharina*, *Roberto* Cistercii Institutore, & *Bernardo* Doctore Mellifluis, & Glorioso *Stephano* Sancto Pontifice & Martyre; quos omnes humillimè deprecor, ut huic meae ordinationi, proposito, & voluntati testes infallibiles assistant. Fidem in primis, quam corde ad justitiam teneo, sic ore confiteor ad salutem.

Credo & profiteor, quod unus est Deus verus, omnipotens, immutabilis & incomprehensibilis, ineffabilis & æternus, PATER, & FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS; Pater Unigenitus, Filius à solo Patre genitus, Spiritus Sanctus à Patre & Filio aeternaliter procedens; non sicut à duobus principiis aut duabus spirationibus, sed ab utroque tamquam ab uno principio & unica spiratione. Hæ tres Personæ sunt unus Deus, non tres Dii; una essentia, una substantia, una immen-

immetitas, unum principium. Nullus alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; sed absque initio & sine fine, *Pater* est generans, *Filius* nascens, *Spiritus Sanctus* procedens.

Hæc Sanctissima TRINITAS, secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietate discreta, suâ omnipotentia virtute & bonitate, omnem de nihilo ab initio temporis condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam & mundanam; ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam. Et Deus quidem omnia valde bona creavit, sed diabolus & alii demones ipsi per se facti sunt mali; homo verò diaboli suggestionem peccavit.

Credo item & profiteor, quod Unigenitus Dei Filius, Patri consubstantialis, semper cum Patre & Spiritu Sancto existens, in plenitudine temporis, (ut à peccato *Adæ* ac cæterarum culparum sordibus nostram animam emundaret, & nos à pœnis inferni liberaret) incarnatus est de Spiritu Sancto in utero immaculato Beatæ semper Virginis MARIÆ; naturamque hominis veram & integram assumpsit, corpus videlicet & animam rationalem in unitate personæ Divinæ: tantâ unitate, ut unus & idem Christus sit Deus & homo, Dei filius & hominis filius; ita quòd una natura non confunditur cum alterâ, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit, sed in persona omnino unâ sint duæ perfectæ naturæ, Divina scilicet & Humana, duæ voluntates, duæ operationes, ita ut *Christus* sit tantum unus; & sicut formam servi Dei forma non ademit, ita formam Dei servi forma non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo; Deus per id quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id quod Verbum caro factum est & habitavit in nobis; unus & idem, secundum Divinitatem æqualis æterno Patri & immortalis; secundum verò humanitatem minor Patre, mortalis, & passibilis homo. Hunc verò prædico natum ex *Maria* Virgine, & ideo ipsam Virginem fateor Dei Matrem esse appellandam.

Firmiter etiam credo omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, à trecentis decem & octo Patribus in Concilio *Nicano*, & à centum quinquaginta in Concilio *Constantinopolitano* tradito, ac semper in Ecclesia inviolatè custodito.

Ponatur hic Symbolum Sanctæ Fidei.

Credo in unum Deum, &c.

Credo & profiteor, nullum unquam hominem, ex semine *Adæ* conceptum & natum, fuisse salvatum aut fortè salvandum, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominis, Domini nostri *JESU CHRISTI*, in sanguine & morte ipsius, quâ nos reconciliavit æterno Patri, & delevit chirographum iniquitatum nostrarum æternâ redemptione inventâ.

Insuper credo legalia omnia veteris Testamenti, quæ *Christum* figurabant, ipso adveniente cessasse, servarique non posse, jam promulgato Evangelio, sine interitu salutis æternæ. Novæ autem legis septem esse profiteor Sacramenta; nimirum *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam*, *Pœnitentiam*, *Ordinem*, *Matrimonium*, & *Extremam unctionem*; quæ gratiam conferunt dignè summentibus, & perficiuntur verbis ut formâ, & rebus ut materiâ, & ministro qui facere intendat quod facit Ecclesia. Credo quoque & approbo sacros Ritus, in solemnè eorum administratione. Recipio & admitto, quidquid de illis Sancta & Catholica Romana Ecclesia docet & prædicat. Firmè assero, quòd si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm plenè satisfecerint Divinæ Justitiæ, eorum animæ pœnis Purgatorii post mortem purgabuntur, à quibus tamen pœnis relevari possunt per fidelium vivorum suffragia, per Missarum sanctum Sacrificium, orationes, eleemôsynas, & alia pietatis officia, secundum Ecclesiæ instituta. Illorum verò animas, qui post Baptismum, vel nullam peccati maculam contraxerunt, vel à contractis plenè purgati sunt, in cælum mox recipi assero, & Deum sicuti est, clarè intueri; magis tamen vel minus perfectè, pro meritorum diversitate. At eos qui decedunt in peccato mortali actuali, vel in solo originali, mox in inferno descendere ajo, disparibus tamen pœnis perpetuò puniendos.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, cæteraque observationes, & constitutiones ejusdem Ecclesiæ, firmiter admitto & amplector.

Itemque Sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de Scripturarum interpretatione; omnesque Canonicos ejusdem libros suscipio, quos ipsa Catholica Ecclesia probat & suscipit.

Amplector item, suscipio, & approbo Sacrosanctas œcumenicas & orthodoxas Synodos, quas Apostolica Sedes approbat, suscipit, & amplectitur, videlicet *Nicanum* primum adversus *Arium*, *Constantinopolitanum* adversus *Macedonium*, *Ephesinum* adversus *Nestorium*, *Chalcedonensem*

Hhhhhh 3 ad.

adversus *Eutychem* Archimandritam & impium *Dioscorum* Alexandrinum.

In his quatuor primis Conciliis, velut in quadrato lapide, sanctæ Fidei structura confurgit.

Hæc cum *Magno Gregorio*, sicut Sancti Evangelii quatuor libros, ita suscipere & venerari me fateor; sed & alia Concilia universalia, pari reverentiâ & æquali approbatione, custodio; nempe secundum & tertium *Constantinopolitanum*, adversus hæreses *Petri*, *Anthimi*, *Severis*, *Sergii*, *Pauli*, *Theodori*, & aliorum; secundum quoque *Nicænum*, adversus Iconoclastas; quartum *Constantinopolitanum*, adversus *Photium* ejusdem Civitatis pseudo-episcopum. . . . Schismatis primum auctorem; quinque *Lateranensia* celeberrima, adversus schismata, variasque hæreses & errores; duo *Lugdunensia*, unum universale contra varias item hæreses & schismata; unum *Florentinum*, contra errores Græcorum; ac novissimum *Tridentinum* adversus nostrorum temporum novatores.

Has omnes Synodos totâ devotione complector; quidquid illæ approbant, approbo; quidquid damnant, damno, respuo, abominor, & in sempiternum rejicio.

Doctores & sanctos Patres, quos approbat Sancta Romana Ecclesia, reverenter sustineo, & integerrimâ veneratione revereor.

Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum successorem esse *D. Petri* *Christique* Vicarium confiteor; ac ipsius ordinationibus, præceptis, censuris me semper & fideliter, absque ulla tergiversatione, obtemperatum promitto.

Hæreses ab Ecclesia damnatas & anathematizatas, ego pariter damno & anathematizo.

Hanc autem Catholicam fidem, sine quâ nemo salvari potest, quam in præsentis sposte profiteor & veraciter teneo; eandem integram & inviolatam, Deo adjuvante, usque ad extremum punctum retinere & custodire, spondeo, voveo, & juro.

Hanc semper tenui, docui, & prædicavi; hanc semper tenebo, docebo, & prædicabo; hanc doceri & prædicari ab omnibus, quantum in me erit, procurabo.

Si quid autem à me dictum vel scriptum est aliquando, quod cum hac fide & doctrina non consentiat (quod cerè sciens ac prudens nunquam feci) id pro non dicto & pro non scripto haberi volo. Et si deinceps tale quidpiam, præsertim in graviore morbo, ore proferam; id ex nunc abominor & retracto, & ex animi mei sententia

id nunquam proficisci posse declaro, Dei optimi maximi favente gratiâ, sine quâ nihil sum, nihil possum. Caterum pro hæc fide millies mori paratus sum, idque vehementer peropto; non meis viribus confisus, sed *Dei* fretus misericordiâ; qui cum dederit mihi hanc voluntatem, dabit & constantiam atque perseverantiam, ob suam infinitam bonitatem.

Hæc solemnî fidei protestatione præmissâ, cum ingenti fiduciâ ad aram divinæ misericordiæ confugio, ut veniam consequar de peccatis meis; quæ tametsi gravissima sint (*Tu solus Deus* ea discernis) & multa nimis, major est tamen benignitas *Dei*, quàm sint omnes omnium hominum iniquitates, ab initio mundi usque ad finem. Et ego quidem omnia peccata, quæ commisi die à quo primum peccare potui, usque ad hoc punctum, odi & detestor; meque prorsus pœnitet ex toto corde, quod Dominum meum offenderim, quem amo super omnia; firmiterque propono amplius non peccare, & omnes peccandi occasiones devitare.

Tu verò, Domine mi, cui proprium est misereri semper & parcere, reminiscere miserationum tuarum & misericordiarum tuarum quæ à sæculo sunt. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, & ne statuas coram te: sed averte faciem tuam à peccatis meis, & respice in faciem *Christi* tui, in faciem dilecti Filii, pro me pendens in cruce: ille enim ut me redimeret tradidit in mortem animam suam, & dignissimus est in quem respicias, quia ille pro meis & pro peccatis totius mundi, justitiæ tuæ copiosissimè satisfecit.

Hujus meritum affero ad te, in hoc solo meam spem & omnem fiduciam defixam habeo. Hæc est justitia mea & satisfactio mea, redemptio mea & propitiatio mea. Meis meritis onustus, clementissime Pater, iis meritis nimium confido quibus negare nihil potes. Accipe itaque spiritum meum, quâcumque horâ illum repetere volueris, non contempribilibus auro & argento, sed pretioso sanguine Filii tui redemptum.

Exaudi, Domine; placâre, & fac, ô utinam nunquam peccassim! ô utinam omnes dies vitæ meæ in bonis operibus Deoque placitis actionibus transegissem! O si dies perditos revocare possem, aliamque vitam inchoarem! Quam vellem diligenter vel minimum defectum evitare, perpetuam innocentiam illibatam custodire! Sed, proh dolor! præterierunt dies mei, nec amplius revocari possunt, solaque temporis jactura irreparabilis est. Quoniam itaque nulla ad præscriptum

scriptum est potentia, omnibus viribus animæ meæ avertens me ab omni temporis successione, ab omni locorum circumscriptione, in tranquillissimum æternitatis statum me confero; in quo Deus essentialiter existit, in quo nihil est præteritum, nihil futurum; in quo omnia deperdita reperiuntur. Hic me elevans super omnem creaturam, totusque in Deum transfusus, omni illo tempore, (quod ab initio mundi usque ad finem sæculi devolvitur) tam laudabiliter vixisse vellem, tam purè & obedienter, sicut omnes unquam homines vixere, in omni virtutum exercitio, in omni afflictione, paupertate, desolatione, labore, & operatione.

Hanc autem voluntatem omni momento renovare intendo, futurum confidens, ut benignissimus Dominus, qui voluntatem timentium se facit, hoc animi mei votum respicere & acceptare dignetur. Quamvis autem pro peccatis meis abundantissimam Redemptoris mei satisfactionem obtulerim æterno Patri, ipsi tamen pro illis satisfacere cupio in hac vita ex rigore justitiæ, hic uri, hic secari desidero; ad omnia flagella, ad omnia mala pœnæ toleranda, ad iram Domini portandam paratus, quoniam ei offensiones meæ multiplicatæ sunt. Omnia enim possum in eo qui me confortat, qui etiã facit cum tentatione proventum, ut possim sustinere, & in vita suæ misericordiæ memor erit.

Omnia peccata quæ tam in seculo quàm in Religione, reus promissionis in baptismo factæ, & votorum monasticorum sacrilegus prævaricator, admisi; generali confessione, tum alias sæpè, tum hoc ætatis meæ trigésimo septimo virente anno, die secundâ Augusti, vigésimo scilicet professionis meæ, in Congregatione S. Benedicti Ordinis Cisterciensis, anniversario, divinâ opitulante gratiâ, expiavi; nihilque adhibitâ omni morali diligentia, scienter omisi, quod clarè, ut debui, non explicavi. Imò, si cognovissem id Deo placitum fore, universa delicta mea, & hic sigillatim describerem, & coràm omni populo in viis & plateis altâ voce confiterer; ut qui iudicat aliquid de me, aliter quàm sit in me, ex eo quod foris apparet, manifestè cognosceret, quod sordibus inquinatus sim, quibus dignus sum omni pœnâ, omni ignominia, omni que honore & consolatione indignus. Quod si inadvertenter vel ignoranter omisi aliquid, id ut suggerat memoria, Salvatorem meum enixè precor, qui scit insipientiam, & à quo delicta mea non sunt abscondita, ut Sacramentali confessione eluere,

ac pro his dignè valeam satisfacere. Cor enim meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Et quis potuit, nisi speciali lumine desuper illustratus fuerit, omnes latebrâs conscientiæ tam diligenter rimari, quin in tantâ scelerum multitudine aliquid effugiat quærentis sollicitudinem?

Dilecta quis intelligit, inquit Propheta? ideo consequenter cum eodem quotidie psallo, Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce sermo tuo.

Quia verò scriptum est, *Dimitte, & dimitteur vobis*; ut hæc verba Domini ad me quoque pertineant, omnibus inimicis meis, qui malâ voluntate erga me sunt vel fuerunt, qui me verbo vel factò quocumque modo offenderunt, ex toto corde verissimè ignosco; & omnem injuriam remitto; si quid mihi de bono famæ debeant, illis omnino, in quantum possum, condono; ac eisdem intimè diligo; flexisque genibus Deum precor, ut eis in omnibus beneficiat, & pro infamia, quâ me læserunt, honorem, pro detractionibus, bonam famam, pro odio, sanctissimum amorem suum; & pro omnibus malis mihi irrogatis, bona temporalia, salutis eorum utilia, suo tempore etiam retribuât. Fratres mei sunt; si oporteret, vitam pro illis libentissimè profunderem, eisque servire in omnibus, & omnem eis exhibere charitatem, cum Dei adjutorio, spondeo & juro.

Ab illis autem, quos ego aliquando offendi, aut verbis aut factis læsi, quos scandalizavi & ad peccatum induxi, veniam humillimè peto; ipsos rogans & adjurans, per vulnera patientis Domini mei JESU CHRISTI, ut omne debitum dimittant, meque in servum recipere dignentur, paratissimum ad omnem injuriam, per me illis illatam, justâ satisfactione compensandam.

Ad mortem alacriter subeundam me Deo promptum offero, quocumque loco, qualicumque modo ipse voluerit. Dominus est: faciat in me, & de me voluntatem suam. Et si ego possem mille adhuc annis in omni voluptate vivere; pro Dei amore mortem potius subire vellem. Et si liceret mihi, genus, tempus & locum mortis pro libito eligere; id nihilominus nullo modo præsumerem; quia nihil volo, nihil desidero, nisi Divinum beneplacitum, cui me in omnibus & per omnia subdo.

Unum dumtaxat rogo, ut Sacramento pœnitentiæ

tia purgatus, sacro refectus Viatico, & Oleo sancto inunctus hinc discedam: quocirca hæc Sacramenta toto cordis affectu, totâ mentis devotione postulo, ut juxta ritum Catholicæ Ecclesiæ mihi in extremis ministrantur; ut totus eorum virtute & efficacîa à peccatis emundatus, Divinæque gratiæ munitus præsidio, insidiantes mihi hostes succutere, & ad Deum victor valeam pervenire.

Quia verò à summis Pontificibus, *Christi Vicariis*, quibus data potestas est ligandi atque solvendi, tum Ordini nostro generaliter, tum mihi specialiter ab *URBANO VIII.* sanctæ recordat, & ab *INNOCENTIO X.* nunc feliciter regnante, concessa est benedictio amplissima & plenaria indulgentia in articulo mortis; hanc mihi applicari, ac uti & frui volo; ut labus purus, & ab omni culpa & poena absolutus, divino conspectu, *Christi* suffragante gratia, possim gaudere. Fiat voluntas Dei: omne enim desiderium meum, satisfactionem tam animæ quàm corporis, Divino beneplacito submitto; paratus illi obsequi in tempore & æternitate. Verùm in hoc casu omnia prædicta spiritualiter recipere intendo; sperans & confidens per magnam misericordiam Dei, me tunc in gratia & amicitia ejus moriturum; in qua si moriar, beatus sum & benè mihi erit.

Omnem quamcunque infirmitatem *Deus* miserit, quantumvis gravem, scedam, & diuturnam, patienter ferre (Deo favente) propono, cupiens cum *Christo* affligi, cum *Christo* in Cruce mori; desideransque corpus infirmum, & laxam animam meam; ex nunc, cum ejus afflicta animâ & membris pro me laceratis uniri, ea Deo Patri offerens in satisfactionem pro peccatis meis, & ad omnia quæ tunc temporis necessaria mihi fuerint impetranda.

Tentationibus dæmonum, quæ morientis animam apprehendere solent inter angustias, divinâ gratiâ me custodiende, nullatenus consentire intendendo, sive sint spei longioris vitæ, sive infidelitatis, vel desperationis, aut nimis fiducia, vel cuiuscunque alterius rei; illis autem oppono ex nunc Crucem & Passionem Domini Nostri *JESU CHRISTI*, intercessionem *B. MARIE* Virginis & omnium Sanctorum, eorum præcipuè, sub quorum tutela vivo; *Angeli* mei *Custodis* assistentiam, & Fratrum meorum orationes, quibus me devotè commendo: quòd si fortasè ex pusillanimitate spiritus, ob terribilitatem divini iudicii, vel ex debilitate rationis, me in aliquam tentationem inci-

diffe (quod *Deus* per suam pietatem avertat) verbo vel factò indicavero; hoc ipsum nunc, sanæ mentis existens, revoco, detestor, & irritum fore, & pro non dictò aut pro non factò haberi volo; submitbens me totaliter divinæ ordinationi & pietati.

Animam meam, in egressu suo è corpore, & post ipsius exitum & separationem, quantâ possum submissione & humilitate, *Deo Patri* commendo, ejusque *Filio* *JESU CHRISTO*, & *Spiritui Sancto*; atque idcirco procumbens ante thronum misericordiæ ipsius, indulgentiam ejus suis lacrymis postulo, velut positus in articulo mortis. Succurre mihi, piissime *Domine*, in hac horâ, & ne respicias peccata mea; nec me sinas in peccatis perire, quem creavit dextera tua. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Tu enim dixisti per os Prophetæ tui benedicti, quod in quâcumque horâ reversus fuerit peccator à viis suis malis, omnes ipsius iniquitates traderes oblivioni. In hac spe singulariter constitutus, audeo oculos levare meos ad te, qui non sum dignus respicere altitudinem cœli præ multitudinem iniquitatum mearum. Jube me, *Domine*, à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perducere, quam generi humano per Crucem & Passionem tuam dilectus Filius tuus acquisivit; non in meis meritis (quæ nulla sunt) nec in justificationibus meis, præcans postulo ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis confido, & in sanguine Domini mei Filii tui *JESU CHRISTI*.

In hoc confido, & non erubescam; in hoc spero, & non confundar. Benedic mihi, *JESU* amantissime, & nunc in pace dimitte me; quoniam tuus ego sum, & in æternum non dimittam te. Quis jam me poterit à tuâ charitate separare? Tu salus mea, quem timebo? Tu protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Et ecce ad te venio, quem amavi; ad te propero, quem desideravi: in te vivam, in te moriar; in te, si volueris, in æternum permanebo. O si totus in te mergi, totus absorberi, & sepeliri in te volens, moriar! O si anima mea, inter amplexus tuos suaviter requiescens, tota absorbeatur in te, & felicissimè fruatur te *Deo*, amatore meo! Quid mihi jam ultra cum mundo, mi charissime *JESU*? Ecce nec in cœlis quidquam volui præter te. In manus tuas commendo spiritum meum. Respice in me dulcis amor, ut in æternum benè sit mihi in te, & in pace tecum obdormiam & requiescam.

Sonet

Sonet in auribus mentis meae vox illa jucunda, vox illa dulcissima, vox illa beatificans: Hodie mecum eris in Paradiso. Suscipe me, JESU CRUCIFIXE, inter amorosa brachia tua, quae pro me in cruce extensa cerno & complector. Suscipe me inter desiderabiles amplexus tuos, & trahe ad te animam meam. Suscipe me, bone JESU, in misericordia tua; suscipe in pace spiritum meum. Amen.

Et tibi quoque Beatissima Virgo Maria, mater misericordiae, Regina mundi, consolatrix afflictorum, refugium peccatorum, salus pereuntium, tibi, tibi, fons pietatis, in hac hora tremenda, commendo animam meam. Adjuva me trepidantem, cadentem subleua, errantem dirige, consolare desolatum. Impetra mihi à dilecto filio tuo misericordiam, quam semper optavi. Tu me semper in omnibus periculis clementer adjuvisti, mirissima Mater; ne me deserat in hoc ultimo discrimine constitutum, à quo pendet aeternitas. Monstra te esse matrem, & loquere pro me bona ad Filium tuum; ut recreet me jacentem in umbra mortis. Fac, ó Benedicte, per gratiam quam meruisti, per animam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriae nostrae, te quoque intercedente participem me faciat gloriae & beatitudinis suae JESUS CHRISTUS Filius tuus Dominus noster.

Sancte Michael Archangele, qui venisti in adiutorium populo Dei, Princeps militiae caelestis, qui divina virtute diabolum contrivisti, subveni mihi apud altissimum Judicem, & eripe me ab immundorum spirituum insidiis, & perduc animam in locum refrigerii & quietis.

Et tu, Angele sancte, cujus tutelae & custodiae ego indignissimus peccator commissus sum, assiste mihi in hoc puncto, & omnem satanae potentiam à me procul expelle. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Educ me de laqueo, quem absconderunt mihi, & restitue à malignitate eorum animam meam.

Subvenite mihi & vos, Patroni mei & tutelares Sancti. Tu Joannes Praecursor Christi, animus sponsi, vox Divini Verbi; rectas fac semitas meas, & dirige in conspectu Domini viam meam. Tu Claviger Regni caelestis, Apostolorum Princeps, beatissime Petre, pro tradita tibi potestate, solve vincula peccatorum meorum, & aperi mihi januam Paradisi.

Tu Joannes Evangelista, qui de sacrario Domini pectoris ineffabiles divitias divina suavitatis hausisti, illustra tenebrosam animam meam, afflictam recrea, mihi que impetra in egressu meo ardentissimae charitatis affectum.

Tu gloriosissime Monachorum Pater Benedicte, ne mihi imputes ad damnationem Regulae tuae transgressiones, de quibus doleo quantum possum, sive ex malitia illae fuerint, sive ex humana fragilitate.

Vos decus & capita Ordinis Cisterciensis S. Roberti, S. Alberici, S. Stephane, S. Bernarde, qui me arborem infructuosam jam per multos annos in hac vinea vestra adeo patienter sustinuitis, expectantes à me fructus, quos non nisi amarissimos parturivi, ah! ne me deseratis in hac hora; filius enim vester ego sum, tamen hoc nomine nequam dignus. Tu fortissime Christi Martyr & sanctissime Papa Stephane, in cuius die natali per secundum Baptisma in solemnibus votorum nuncupatione renatus sum; Tu me respice ab alto, & constantiam impetra in hoc certamine, ac de hoste tartareo gloriosum triumphum.

Vos reliqui Sancti & Sanctae, quos speciali devotione veneror. S. Arseni, S. Thoma de Aquino, S. Catharina Virgo & Martyr, S. Magdalena, postremam luctam meam precibus vestris adjuvate. En ego flens, gemens, & suspirans, quia manus Domini tetigit me. Jam mihi praeteriit mundus; jam mihi tempus elapsum est, & quod hactenus operatus non sum, nunquam amplius operabor: jam mihi sese offerunt ante oculos res novae & extremae, de quibus antea non cogitaveram; mors mihi in oculis est, jam scelorum meorum longè gravissimorum seriem audio publicari: jam parat se Judex ad sententiam inappellabilem pronunciandam, vitae & mortis sempiternae. Ah! non me deserite in his summis angustiis meis. Si quid unquam feci, quod vobis gratum fuerit, pro me supplices procumbite ante Dominum, & meum mihi Judicem conciliate: quatenus, vestra placatus intercessione, ad veram beatitudinem me perducatur, in qua vos cum ipso regnatis in saecula saeculorum. Amen.

Corpus meum, egressa anima, sepulturae mandabitur in communi Monachorum sepulcro, ad beneplacitum Superiorum, quibus me & omnia mea committo. Rem temporalem non habeo de qua disponam; pauper enim sum & nudus Monachus; & si videtur aliquos libellos possidere, mihi in usum permissos à superioribus meis, erga istos tamen & exiguae meae cellulae

supelleſtilem, & erga veſtes quibus induor, nullum affectum proprietatis per gratiam Dei habeo; paratus his omnibus me expoliare, ad omnem vel minimum nutum cujuſlibet Superioris mei. Precor autem Abbatem ſeu Priorem, in cujuſ Monafterio moriar; & ſi contingat me mori dum Prælati munus indignè exerceo, rogo Fratres meos chariſſimos, ut veſtem mihi lace-ram ob Dei amorem in eleemoſynam largiri dignentur, ut eâ involutum corpus meum terræ conſignetur è quâ ſumptum eſt, in terram reverſurum; donec in noviffimo die reſurgat, cum venerit Dominus ad judicandum.

Suffragia item quæ fieri ſolent, precor ut fiant quàm citiffimè pro miſerâ animâ meâ, tam in Miſſis quàm in Officiis, & conſuetâ eleemoſynâ, & ſi quis aliqua ſupererogaverit, non ero ei ingratus in conſpectu Domini mei.

Scripta mea & libri, quos Deo inſpirante compoſui, & ea omnia quæ vitâ comite deinceps componere intendo, ſi nondum impreſſa fuerint cum moriar, peto ut remittantur amicis & Dominis meis Superioribus qui tunc fuerint, vel his quos ego moriturus nominabo, ſi ſpatium temporis competens id præſtandi habuero; ut ſi eis videbitur, ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, ea typis mandari curent, præmiſſâ præſatione, in quâ lector admonetur, me omnino ſcripta mea Sapientum correctioni ac S. Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ſubmittere, in cujuſ fide & vivere & mori volo. Si verò accidat, ut meâ qualeſcumque Incubrationes, poſt meum deceſſum, in lucem prodeant; obteſtor eos qui id curabunt, ne quid magnificè de me miſerrimo & ſtultiſſimo peccatore præſari velint; ſed ſimpliciter dicant me talia ſcripſiſſe ad Dei gloriam, ut me ipſum inſtruerem ad virtutem; nihilque boni in illis contineri; quod acceptum non ſit à ſanctis Patribus & Doctoribus Orthodoxis, vel ex antiquis Philoſophis ethnicis, qui multa nobis utilia documenta reliquerunt, & ab aliis ſcriptoribus, è quorum Incubratione meos tractatus omnes concinnavi.

Quod ſi per multos annos, quæ mea juvenilis eſt ætas, à Deo prorogata fuerit, & longius ſpatium pœnitentiæ mihi conſeſſum; proteſtor & declaro, me velle omnino mores meos mutare in melius, & vitam perfectiùs inſtituere, omnemque horam & momentum in ſanctis & Deo placitis operibus ſutagere. Tu Domine, qui hanc voluntatem dedifti ſervo tuo, tribue gratiam perficiendi quod te donante propono.

Eccc enim provolutus ante Majeſtatem tuam,

in centro nihil itatis meæ, fiduciam habeo orandi ad te, quoniam fortitudo mea & reſugium meum tu es, & propter nomen tuum deducès me, & diriges me in ſenſitam rectam, ut cuſtodiam mandata tua. O quàm me pœnitet, quòd hætenus tam negligenter vixerim; quòd tempus mihi conſeſſum ad promerendam gratiam tuam, in rebus vanis & inutilibus conſumpſerim; quòd in currendâ viâ mandatorum tuorum adeo piger & remiſſus fuerim; quòd vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, tam frequenter prævaricatus ſim; quòd varias & multiplices corporis infirmitates & animi aſſiſtiones, quibus me ſervum rebellem & contumacem erudire & exercere dignatus es, non eâ, quâ par erat, patientiâ & reſignatione ſuſtinuerim, & mentem obdurans ſervili nequitia ad paterna flagella clementiæ tuæ cervicem ſubſtuli. Retinebant ſcilicet me nugæ, vanitates, & ludibria terræ; teque relinquens fontem aquæ vivæ, fodiebam mihi ciſternas diſſipatas, quæ conſumere non valent aquas. Et nunc, Domine, recogito dies meos in amaritudine animæ meæ, & conſiteor dedecora mea in laude tuâ, quia eruiſti animam meam ex inferno inferiori, & converſus conſolatus es me. Nullum enim remedium ſuperèſt ſalutis & emendationis, niſi ut levem ad te, Domine, oculos meos, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Memento quæſo animæ meæ, aſtende gemitum meum, & da mihi virtutes ſanctas, quæ tibi placent. Da in bono perfeverantiam, da mihi aſſimilari tuæ ſanctiſſimæ Humanitati, tuæ Divinitati intimè uniri, & ad altiffimum perfectionis gradum pervenire.

Gratias ago, tibi benigniſſime Pater, ob univerſa beneficia tua, quòd me creaveris ad imaginem & ſimilitudinem tuam, quòd me hætenus conſervaveris, quòd me ſanguine tuo redemeris, quòd me per Baptiſmâ gratiæ tuæ dono ditaveris, quòd me toties ad pœnitentiam expectaveris, & à tot malis & peccatis præſervaveris; tot bonis gratiæ & naturæ, totque occultis, quæ ipſe non cognoſco, cumulaveris; quòd præſertim ad ſanctæ Religionis perfectionem me vocaveris, mihi que immenſam in cælo gloriam præparaveris.

Ideo, quoties reſpiro, toties te laudibus celebrare intendo, quibus te laudaverunt & laudabunt omnes creaturæ tuæ, ab initio mundi uſque in æternum, & laudibus omnium Angelorum & Sanctorum, Beatiffimæ Virginis Mariæ tuæ, & ſacraſſimæ Humanitatis tuæ, his quæ continentur in veteri & novo Teſtamento & in omnibus libris mundi; eaſque laudes tibi dare & of-

& offerre desidero, quibus dignus es, & quas tibi denegant omnes impii & scelerati. Et quia affectus meus insufficientis est ad te dignè collaudandum, offero tibi in supplementum meæ imperfectionis, omnium Angelorum voluntates, omnium corda, omnium rerum motum & essentiam, omnes ignotos affectus Beatissimæ Virginis & omnium Justorum.

Offero tibi insuper animam meam & corpus meum, omnes cogitationes, verba, & opera; quidquid habeo, quidquid cupio, quidquid sum. Offero tibi omnes divitias & regna mundi; & si hæc omnia solus haberem, libentissimè omnia dimitterem propter te, & omnes facultates pauperibus distribuere; offero tibi omnes infamias, dedecora, vituperium, omnes afflictiones mentis & corporis, quæ fuerunt & sunt ab initio mundi usque ad finem, paratus hæc omnia pati & tolerare propter te, si tu volueris. Offero tibi quidquid cogitatum, dictum, & factum est, vel cogitari, dici, fieri debet & potest à cunctis Angelis & hominibus, & ab aliis infinitis, quos potes creare; summè desiderans hæc omnia propter te, & alia plura cogitare, loqui, & perficere per gratiam tuam, sine quâ nihil possum, nihil sum. Adjuva me, Domine, qui scrutaris renes & corda. Tu nosti quàm verè & ardentè hæc cupiam; nam ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Procul, procul à me omnis terrena delectatio; procul omnes amici & sodales; procul omnes civitates & castella, omnes montes & valles, omnes rivuli & fontes, omnia flumina & maria, omnes campi & sylvæ, omnia nemora & prata, omnes volucres cæli & pisces maris, bestia & universa pecora, & omnis prorsus creatura. Procul omnes cantilenæ, omnia musica instrumenta, omnes flores & odores, omnia convivia & colloquia, omnes honores & favores, omnes ludi & discursus, omnes deliciae & inutiles occupationes. Procul omnes divitiæ & dignitates. His omnibus, Domine, & cæteris quæ in mundo sunt, abrenuncio propter te. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in æternum.

De cætero, Fratres mei dilectissimi, qui residui eritis & superviveris in hac valle lacrymarum, memores estote iudicii mei, sic erit & vestrum. Mors omnibus communis est: ille autem beatus vocari debet, qui omnem diem vitæ suæ tamquam postremum transigens, quotidie moritur, ut supervivat; quotidie vivens descendit in

infernum, ne descendat post mortem; vitamque suam ad præscriptum divinæ legis sic instituit, ut omni momento paratus sit mori. Sic facite, dilectissimi; mortem omni horâ suspectam habete: obedientiæ insistite usque ad finem vitæ: de momento in momentum sub divinæ voluntatis ordinatione satagite, ut per bona opera certam faciatis vocationem vestram: pacem habete, perfecti estote, & *Dei* pacis vobiscum maneat. Amen.

Hæc est voluntas mea ultima, quam Dei fretus auxilio nunquam mutabo: hanc renovare intendendo omnibus diebus omnique momento vitæ meæ. Tu, Deus, qui das velle & perficere, conserva hanc voluntatem in me, erige deficientem, atque etiam rebellem propitius ad te compelle voluntatem, exure in me flammâ Charitatis omnem proprietatem, reseca ferro tribulationum, omnem dissimilitudinem spiritus mei à spiritu tuo, omne quod tibi contrarium est à me prorsus eradica; argue me in virgâ tuâ, ut, cum venerit extrema dies, nihil in me remaneat igne purgandum.

Verumtamen auge dolorem, auge & patientiam; ne deficiat in malis vita mea. Dum justè irasceris, memor esto miserationis tuæ; & dum superbum provocantem corripis, ne despicias miserum invocantem. Quis enim poterit virgam correctionis tuæ sustinere, nisi tu, qui sic purgas quem amas, tolerandi vires subministras? Memento itaque, quod sicut lutum feceris me; & sic renova, sic expurga, sic perfice figmentum tuum, ut non deficiat.

Ego sum miser homo ille, quem tu, potentissime Deus, creasti propter te ipsum, & ad te ipsum. Ego sum miser homo ille, quem tu sanguine pretiosissimo *Filii* tui misericorditer redemisti. Ego sum miser homo ille, quem tu salvare potes secundum abyssum misericordiæ tuæ. Domine Jesu, sanctifica me; & per illam amaritudinem quam sustinisti propter me in cruce, maxime in illâ horâ, quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui ode- runt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. Concede mihi, dulcissime Jesu, ut Corpus tuum pretiosissimum sit mea finalis refectio: gloriosissimum nomen tuum, quod est *JESUS*, sit mea finalis locutio. Imprime cordi meo omnium vulnerum tuorum acerbissimam passionem, uni voluntatem meam cum sanctissimo beneplacito tuo; ut nihil aliud optare possim, quàm quod tu vis.

Abfconde me in aperto vulnere lateris tui, & non timebo mala, ambulans in regione umbræ mortis. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi. Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo. Perii fuga à me, & non est, qui requirat animam meam. Clamavi ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Veni Domine Jesu, veni, & noli tardare, relaxa facinora mea. Solve vincula, educ vincitum de domo carceris, de lacu miseriæ, & de luto faciis. Expectans expectavi te, intende mihi & exaudi me. Ostende mihi faciem tuam, quam Angeli semper vident; fonet vox tua in auribus meis, vox gratiæ & remissionis, vox jucunditatis & lætitiæ. Recipe me ab hominibus: tempus enim est, ut revertar ad te, qui solus es principium meum, finis meus, centrum animæ meæ, unicum solatium meum, fatietas mea, requies spiritus mei, *Deus meus* & exaltans caput meum, qui vivis, & regnas, laudabilis & gloriosus & superexaltatus in sæcula sæculorum.

Actum Astæ, in Monasterio Sanctæ Mariæ Consolationis, Congregationis reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, per manum mei JOANNIS Monachi peccatoris, qui professus sum vivere sub Regulâ sanctissimi Patris Benedicti, regnante Domino nostro Jesu Christo, anno ab ejus salutiferâ Nativitate M. DC. XLVI. die x. Octobris, incipiente anno ætatis meæ XXXVIII. Indict. XIV.

FR. JOANNIS à S. Catharina, cognomento BONA. Postea verò S. R. Eccl. CARDINALIS.

ORATIO

Ejusdem ad S. S. TRINITATEM.

O Summa TRINITAS, una Virtus, indiscreta Majestas, *Vnitus* in substantia, *Trinitas* in Personis; numerabiliter innumera-bilis, mensurabiliter immensurabilis, invisibilis, ineffabilis, admirabilis, incomprehensibilis: Deus magnus sine quantitate, sine qualitate bonus, sine tempore sempiternus, sine situ ubique præsens, sine loco ubique rotus; omnia implens

sine extensione, sine indigentia omnia creans, sine motu omnia movens; in magnitudine infinitus, summus in bonitate, in virtute omnipotens, in sapientia inæstimabilis, terribilis in consiliis, in verbis verax, in operibus sanctus, justus in judiciis, copiosus in misericordia, patientissimus erga delinquentes, piissimus erga penitentes, cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt; cui nec origo initium dedit, nec tempora dant incrementum; quem nec spatia dilatant, nec voluntas variat, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent; *Deus* sanctorum Spirituum & cunctæ carnis, à cujus conspectu tremis cœlum & terra, cujus nutui obediunt elementa; vita vivificans me, lumen illuminans me. Aperi mihi clamanti portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor tibi. Te adoro, te laudo, te glorifico labiis & corde, omnique, quâ valeo, virtute, te benedico; & procumbens humiliter sub pedibus magnificentia tuæ, gratias ago tibi, qui per illustrationem gratiæ tuæ illuminasti me, & per matris Ecclesiæ documenta in fide tuâ confirmasti me. Et unde hoc mihi, factor cœli & terræ, qui bonorum meorum non egēs, unde mihi hoc quod amasti me? Quid tibi dedi, & retribuisti? Ubi eram antequam fierem, & ut inciperem bonum? Sed tuâ gratiâ factus sum, & innumera-bilibus donis tuis honoratus sum. Perfice ergo me, qui fecisti me: perfice usque ad formam plenam imaginis tuæ & similitudinis, ad quam formasti me. Te invoco, O beata TRINITAS, ut venias in me, & templum me facias dignum gloriæ tuæ. Rogo Patrem per Filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum Sanctum per Patrem & Filium, ut omnia vitia elongentur à me, ut omnes sanctæ virtutes plantentur in me. Deus immense, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta sunt; custodi me, opus manuum tuarum, in te sperantem & in tua solummodo misericordia confidentem. Custodi me quæso, hic & ubique, nunc & semper, intus & foris, ita ut in me nullus pateat locus insidiis inimicorum. Ad te, beatissima TRINITAS, anima suspirat; quoniam à te infeliciter exulat. Discedens à te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus? Cor meum conturbatum est, & indè dolor: dereliquit me virtus mea, & indè pavor; lumen oculorum meorum non est mecum, & indè error. Verumtamen in te speravi, Domine, quoniam confitebor tibi, cum error verus à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit; & successerit illa.

illa quam spero mira serenitas, plena suavitas, aeterna securitas.

Eterne Pater ingenite, impassibilis; principium sine principio; auctor honorum, fons veritatis, ac totius entitatis origo; Deitas tua me totum repleat, ejusque gloriae participem faciat, quam Filius tuus mihi promeruit, sanctifica me in veritate, ut tui timore & tremore semper stem in conspectu tuo, nec unquam mens mea à te evertatur. Fili unigenite, non posterior nec minor Patre, eique omnino co-aequalis & consubstantialis; Deus de Deo, lumen de lumine, candor lucis aeternae, Verbum incarnatum, virtus omnipotens; sapientia, quae ex ore Altissimi prodisti; imago Patris, splendor gloriae & figura substantiae ejus; illumina intellectum meum, roborata infirmitatem meam, ut te cognoscam & diligam, & tanquam unicum praesi-

dium meum omnibus praeferam. Sanctissime Spiritus, à Patre & Filio procedens, utriusque amor, & artissimum vinculum charitatis essentialis, & totius charitatis principium; ignis consumens, flamma vitalis, donum superans omne donum, à quo omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore & constanti charitate: ut te solum quaeram, & universa despiciam. Adstringe me Tibi, & Patri, ac Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar sancta & adoranda TRINITAS, Deus meus & omne bonum meum, abrenuntio propter te omnibus mundi pompis & honoribus; detestor omnem carnem, & sensuum voluptatem: anathema divitiis & vanitatibus saeculi; gloria mea haec sit pro te contemni, mea voluptas tibi adhærere, mea divitiæ tibi servire, in saecula saeculorum. Amen.

Meritorum memoria oblivioni traditur; Ut haec vigeat, Lector, me Testamentum hoc ab Eruditiss. Ant. Magliabechio recepisse scias, cui mecum debes ad beneficium reddendum, ora ut misericors Deus, non nisi protestationibus hisce pramissis, nos vitam cum morte commutare sinat.

FINIS TESTAMENTI

iiii 3

IN